

**2006 TSJCL Sight Recitation
Level 4**

Tālia tum placidō Sāturnius ēdidit ōre:
 “Dīcite, iūste senex et fēmina coniuge iūstō
 digna, quid optētis.” Cum Baucide pauca locūtus
 iūdicium superīs aperit commūne Philēmōn:
 “Esse sacerdotēs dēlūbraque vestra tuērī
 poscimus, et quoniam concordēs ēgimus annōs,
 auferat hōra duōs eadem, nec coniugis umquam
 busta meae videam neu sim tumulandus ab illā.”
 Vōta fidēs sequitur. Templī tūtēla fuēre
 dōnec vīta data est. Annīs aevōque solūtī
 ante gradūs sacrōs cum stārent forte locīque
 nārrārent cāsūs, frondēre Philēmona Baucis,
 Baucida cōspexit senior frondēre Philēmōn.
 Iamque, super geminōs crēscēte cacūmine vultūs,
 mūtua dum licuit reddēbant dicta, “Valē” que
 “Ō coniūnx!” dīxēre simul, simul abdita tēxit
 ōra frutex. Ostendit adhūc Cibyrēius illīc
 incola dē geminō vicīnōs corpore truncōs.

(Ovid)